

GENS JUDÆORUM

PRESSA NON OPPRESSA

AD FINEM ANNI

SCHOLASTICI

PRO

SOLENNI PROEMIORUM DISTRIBUTIONE

In Scenam data,

A

STUDIOSA JUVENTUTE

SEMINARII SS. ANGELORUM CUSTODUM

IN

POLLING

Anno MDCCLXII. Die 5. & 8. Septembris.

PERMISSU SUPERIORUM.



MONACHII,

Typis Joannis Christophori Mayr, Civit. Typographi.

ARGUMENTUM.

Premi suos non opprimi permittit Deus. Id expertus est inter summas calamitates constitutus Judæorum populus; tanta equidem sanguinaria illa Athalia in totum stemma Davidicum grassabatur tyrannide, ut illud funditus extirpare, sibi que horrendis cædibus thronum stabilire conaretur. At Jojadas Pontifex ingentis spiritus & Singularis prudentiæ vir, natu minimum Ochoziæ filium & ultimum stirpis regiæ nepotem Joam, barbaræ mulieris truculentæ clam subtractum, tamdiu in secretis templi ædibus abscondit, donec Athaliam ad poenas maturam, seque ad exercendam vindictam idoneo militum robore instructum esse putaret. Sexto itaque, quo latuit, anno septennem sceptri Judaici hæredem è tenebris producit, positoque super caput ejus diademate inter mille populi lætantis acclamationes novum Regem salutat. Quo clamore excita Athalia cum prædidiariis militibus accurrere, per obstantes templi vigilias irrumpere, & in ipsum Sacrarium prohibitis reliquis vel sola penetrare. Sed proditorem edocta diuturnos furores non exeruit; mox enim extra templi fores, jubente Pontifice, abrepta, ferroque perempta meritas scelerum poenas dedit. Quo facto parvulus Joas Solymarum Rex inauguratus festivo plausu avito folio restituitur, à Provido Numine tam mirabiliter servatus, ut stirpem Davidicam in illos usque nepotes extenderet, ex quibus Promissus Messias in communem orbis perditam salutem descendit. *Lib. 4. Reg. c. 11.*

Reliqua pro hodierno more Scenarum decori accommodare liceat.

PROLOGUS MUSICUS.

Iniquos Tyrannidis Conatus inferorum opetentatos evertit Themis.

PERSONÆ.

Tyrannis. Pluto. Furia. Themis. Comites.
Tyrann. Recit. Bene est. Beate est. - -
Subditam mihi jam teneo Solymam,
Gentem invisam brevi subvertam integram.
- - non cessabo amplius,
Donec extirpetur radicitus.

ARIA.

1.	2.
Sub jugo dum Solyma gemit, tremit: Jam læta júbilo Regina impero, Quis prohibet me?	Dum Judæ gens domita tacet, placet: Extincta pereat, Orbatam sentiat Progenie se.

Recit. Rex Erebi potentissime!
Animum mihi, viresque suffice!
Per mille neces ac regiæ stirpis excidium
Stabiliendum est mihi solium.

Pluto. Recit. Funesta hic video omnia,
Placet hæc Scena tragica.
- - - Sitio cruorem
Omnem pro te exeram furorem:
Mea evincet sævitia,
Ut ad nomen tuum trepidet, cadat gens Judaica.

A R I A.

1. Ut lybicus terror dum rugit,
Rugitu exterrita fugit,
Herbas molles,
Prata, colles,
Deferit ovicula.

2. Sic tuum dum nomen tonabit,
Mox hostis in fugam se dabit,
Enses, tela
Minas, bella,
Fugiet pericula.

Tyran. Sed non effugiet. - - -
Sacra furori cadet victima,
Juro stygem, vestra testor paludis flumina.

Pluto. Inferorum adeste Eumenides! - -
Cor istud tyrannidis intrate,
Rem pulchram meditamus, operam locate. - -

Alecto. En! ad tua properamus imperia!

Tisyph. Quæ fieri cupis, pete obsequia.

Tyran. Num vobis est animus ad inferenda
Quibus jussero, supplicia?

Megara. Est animus, ne dubita:
Non mitigatur, nec ulli parcit nostra sævitia.

A R I A à Tribus.

Alecto. Dum sitis Tantalum,
Tisyph. Rota Ixionem,
Megara. Dum labor dolii
Dum vultur Tityum,
Saxum Æolidem,
Sobolem Danaï,

Omnes.
Acerbo dolore vexabit,
Hoc furor in corde perstabit,
Ardebit rabies.

Alecto. Transfige pectora,
Tisyph. Humano guttura
Megara. Plecte perfidiam,
Rimare viscera,
Cruore satura:
Jungimus operam.

Omnes.
Ni hostes ad unum vincantur,
Et vindice ferro sternantur,
Te spretam audies.

Tyran. Recit. Ita! ita! respuit segnes moras mens æstu fervida.
Quam odi, execror, pereat stirps infensissima!
Nihil refert, jure an Injuria. - - -

Themis.

Themis. Recit. Vox impia! - tace immanis bellua!
Est, qui venenatum frangat spiculum;
In caput nefarium retundat impetum.

Tyran. Quo fugitis ultrices Viperæ?
Adeste furia! hostem invadite!

Themis. Ohe! rem irritam! oleum perditis & operam.
Non est consilium contra altissimum:
In cassum furit omnis dementia,
Dum gentem suam protegit Superum potentia.

A R I A.

1. Quod alteri malum minatur,
Hoc ipso Tyrannis prematur,
Et Cadat in fossam, quam fodit,
Vereri cogatur, quem odit,
Hæc demum, hæc justa est Lex.

2. Sic montes ad astra levantes
Sepeliunt sese Gigantes,
Dum Typhon in parvulum sævit,
Is Rheæ custodia crevit,
Et factus est Superum Rex.

Comes Them. Recit. Et ecce tibi! - - triste feretrum
Repente surgit in solium!
In fausta recedunt signa tristitiæ,
In vices subeunt nova ornamenta lætitiæ.

Tyran. Heu! vanescunt mea consilia!

Themis. Cave sis, in caput tuum vertentur fulmina.

Tyran. Cedo locum, nec tamen desisto à sævitia.

Comes. Abi in malam crucem Pests noxia!
At vos! Pæana mecum dicite,
Quæ malis pœnam, bonis præsidium destinat,
Justitiam extollite.

C H O R U S.

1. O Fides Numinis!
Quæ justos auges præmiis,
Et diligis infantes!
Quot Hybla nitet floribus,
Dum nectar præbet apibus,
Tot linguæ te laudabunt.

2. O Dextra Themidis!
Quæ pœnas graves statuit
In peccatorum fontes!
Quot cælo gemmant sydera,
Mortalium tot pectora
A laude non cessabunt.

A 3

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Athalia infestum sibi Jojadam perdere statuit, idque negotium destinato sibi sponso (Josabinum dicimus) committit.

SCENA II.

Qui, velut inter sacrum & saxum deprehensus, hinc amore Reginæ, illinc Amici charitate jactatur,

SCENA III.

Sibique obvianti Jojadæ insolito hactenus argumento suam amicitiam confirmat.

SCENA IV.

Dum Proceres tacita Reginæ cum Josabino consilia discutunt,

SCENA V.

Illam redux à Jojada Princeps inani spe deludit.

SCENA VI.

Reversus denuo multis à mirante Jojada precibus impetrat, ut in vincula conjiciatur.

SCENA VII.

Athalia reditum Josabini ad Pontificem, &

SCENA VIII.

Ejusdem captivitatem edocta amore & dolore amens, impotenter furit.

Musica Intercalaris.

Judæa Gentis suæ calamitatem deplorat: prope ad interitum perducta in spem erigitur à Genio Providentiæ.

PERSONÆ.

Judæa. Pluto. Odium. Livor. Ira. Ambitio. Genius Prov.

Judæa sola. Recit. Et quousque irritis tandem lamentis,

Surda pulsabo sydera?

Quousque premi miseram, averſa sic ferent Numina!

Ergone decreta sunt fata sanguinea?

Ergone sceptrum Judææ immani rapiatur sævitia?

O gens infelix Isacidum!

Quomodo sat tuum querar, deslebo exitium?

ARIA.

A R I A.

I. O Lærymæ!

Testes mœstitiæ,

Large erumpite!

Nam flere quis me nolit,

Cum dolor pene tollit,

Elidit animam?

Pluto cum affectis.

2. O Lumina!

Nunc date flumina,

Sim fletu naufraga!

Dum mentem dolor rodit,

Dolorem fletus prodit,

Levat mœstitiam.

CHORUS.

Jo! felix negotium!

Opratum diu spoliū

Habemus.

Sunt fugæ clausa limina

Constringunt feram retia

Maectemus.

Judæa. Recit. Heu me! quid ago? quo confugio?

Pluto. Irruite! casses injicite!

Quidquid habet, cum vita eripite!

Judæa. Omnia lubens dabo. Vitam O vitam relinquite.

Pluto. Occidite.

Judæa. Per hanc ego te obtestor animam,

Da precor supplici, da vitæ gratiam!

Ira. Faceſſe! ocyus recede.

Judæa. Iterum, iterumque flagito, hanc mihi gratiam concede.

Amb. Quin potius immitti calcabo te pede.

Judæa. Te saltem infontis tangat miseratio!

Odium. Nescis? pridem cor istud tui flagrabat odio.

Judæa. Heu! quis demum succurret innocentiae?

Livor. In cassum clamas, spes superest nulla clementiae.

Judæa. Sed infons quo istud promerui scelere?

Pluto. Preme guttur! moriere: crudeli peribis vulnere.

A R I A.

I. Non Erebi Dominus sim,

Ni pergo labentem

Isacidum gentem

Acerbe tractare,

Furorē maectare,

Ni sanguinis haurio vim.

2. Exulto jam Tartari Rex;

Nequaquam evadet,

Sed victima cadet,

Quæ Leges distare,

Superbe regnare

Conſuevit, Hebraica sæx.

Recit.

Recit. Quid moror? fustem impingam cerebro,
 Irvisum caput dabo pabulum trifauci Cerbero.

Odiūm. Cultro hoc meo aperiam guttura.

Amb. Agite! quo meum brevi conspectum purget molesta anima.

Livor. At Vellem ego, ut longa potius tabesceret inedia,
 Luctans diu, agere tandem peribit misera.

Pluto. Placet consilium. Morte pejus est lentum supplicium.

Judæa. Misericordiam! - per has ego obtestor Lacrymas.

Pluto. Aures pulsas surdissimas.
 Huc Socii! ad arborem ligate belluam,
 Dum esset infelix animam. - - -
 Hic jam ferarum in antro latebis,
 Sortemque tuam cum ulula lugebis:
 Dum tristis inedia necabit te.

Judæa. Cæli clementia servabit me. - - -
 An non est Deus, cui pressa sit curæ innocentia?

Gen. Prov. - - Triste lugentis audio suspiria.

Judæa. Quisquis es veni! ah veni & solve vincula!

Genius. Fero opem. - - En! meo beneficio es libera.

Judæa. O qualem te memorem? - -
 Non est mortale decus, quod tuam irradiat faciem.

Genius. Adsum missus à Providentia,
 Cujus cælum & orbis adorant consilia.

Judæa. Num illi adhuc cura est de gente Judaica?

Genius. Est. Imo maxima.

Judæa. Ignosce. Cur tantis igitur ærumnis premitur innocua?

Genius. Non opprimetur, ne sis sollicita.

D U E T T O.

<p><i>Jud.</i> O si quis reducat pacem, Ponat iræ terminum! O si duram ferri Legem Innoyent in gaudium!</p>	<p><i>Gen.</i> En! prætendo novam facem, Fero Sydus aureum: Novum sisto tibi regem, Regem Deo placitum.</p>
<p><i>Jud.</i> Est promissa salus Genti Ex Davidis semine, Illud nunc extinctum gemit, Dira sub tyrannide.</p>	<p><i>Gen.</i> Crede Deo promittenti, Faciet te crescere: Inferus incassum fremit, Respirabis integre.</p>

ACTUS

ACTUS SECUNDUS.

SCENA IX.

Jojadas servatum Principem proximæ redemptionis nuntio solatur, eumque piis pro futuro regimine monitis imbuat.

SCENA X.

Nadab irrita apud Pontificem pro liberando Josabino legatione functus,

SCENA XI.

Infaulto hoc nuntio Athaliam ad vindices furores vehementius inflammat.

SCENA XII.

Josabinus latentem sub spontanea captivitate dolum, amico Jojadæ aperit, suamque ad meritum hujus furia exitium spondet operam.

SCENA XIII.

Dumque Athalia suos ad impigram irruptionem animat,

SCENA XIV.

Is ipse tacita elapsus se fuga simulans, illam stimulis ad vindictam fraudulentè exasperat.

SCENA XV.

Jojadas Pontifex probata suorum fide, stupentibus omnibus septennem Joam è Templi latebris producit, Athaliaque, dum violenter irrumpit, interfecta,

SCENA XVI.

Tanquam legitimum hæredem avito Solio restituit, toto populo insperatam hanc lætitiā millenis acclamationibus excipiente.

E P I L O L U S.

Genio Providentiæ invitante Judæa novo suo Regi homagium præstat.

P E R S O N Æ.

<i>Genius.</i>	<i>Jos Rex.</i>	<i>Judæa.</i>	<i>Populus.</i>
<i>Gen.</i> Recit. Lætare Solyma! Tota jam gaude gens Judaica! Jugo tyrannidis dum vivis libera. Extinctum Davidis semen gratia revixit Superum. Adesto! novo Regi solitum præsta homagium.			

B

Judæa.

Judæa. Salve! O Sydus regium!
 Solamen Patriæ, novum & unicum! - -
 Post tot ærumnas te tandem video! - -
 Post tot gemitus & lacrymas te læta recipio.

A R I A.

I.

Stellæ cœli adamantes!
 Argi mille vigilantes!
 Vos audistis,
 Quando tristis
 Ego flebam,
 Perfundebam
 Sinum meum lacrymis.

2.

Phœbi Soror Lux amæna,
 Ope Fratris tam serena!
 Tu vidisti,
 Meministi
 Suspirantem,
 Æstuantem
 Me curarum stimulis.

Recit. Respiro denique, à mente recedit tristitia:
 Vigor pristinus redit in præcordia.
Joas. Recit. Agite! O fida pectora! pro chara patria,
 Pro aris vestris, focusque state!
 Fusum meæ stirpis sanguinem fortiter vindicate.

A R I A.

I.

Triumphæ gens Ifacidum!
 Contrita est vis hostium.
 Amaro fletu madida
 Jam terge tandem lumina,
 Optata venit lux.

2.

En cura cœli provida
 In tua vivo commoda!
 Fruamur pacis fructibus.
 Tu fidus eris populus,
 Et ego tibi dux.

Judæa. Da Princeps Regie! totus mecum populus
 Tuis sese advolvat pèdibus.
 Læta sunt, quæ de tuo regimine concipimus omina,
 Da, linguæ & corda omnium, solvantur in júbila.

Joas. Exulta Popule! sed, dum me tibi servatum
 Submissio animo gratulare,
 Servatorem Jojadam amatum
 Æquo cultu venerare.

Judæa. Bene est. Utrique applaudimus,
 Utrique dies faustos gratabundi accinimus.

CHORUS.

CHORUS.

Joas cum Jojada
 Vivat in sæcula!
 Vivat in dediti
 Salutem populi.

Princeps ex Solio
 Nepotes videat,
 Donec promissio
 Fructum exhibeat.

Syllabus Actorum.

Prænobil. Felix Adam de Oefele, Syntax. Maj. *Joas Rex.*
 Jacobus Fridl Poëta, *Athalia regni usurp.*
 Ornatiff. ac Doctiff. D. Casparus Schwab, Phil. Baccal. SS. Theol.
 & SS. Can. Cand. *Jojadas Pontifex.*
 Nobil. Josephus Wendenschlögel Rhetor, *Josabina Athalia Sponsus.*
 Prænobil. Franciscus Xaverius Joanes Nepomucenus de Delling, Synt.
 Maj. *Nadab Primas Aulae.*
 Nicolaus Räsperger, Synt. Maj. *Mathan Præfectus Militiæ.*
 Josephus Döchterman, Poëta, *Abner Sacerdos.*
 Prænobil. Cajetanus de Pfeiffer, Poëta, *Præfectus Præsid. Levit.*
 Joannes Baader, Syntax. Maj.
 Josephus Antonius Klocker, Synt. Maj.
 Joannes Georgius Scherer, Synt. Maj.
 Jacobus Faistling, Synt. Maj.
 Franciscus Xaverius Scher, Synt. Maj.
 Antonius Ruech, Synt. Maj.
 Joannes Baptista Kirchmayr, Synt. Maj.
 Petrus Bauhoff, Synt. Maj.
 Benedictus Nuzinger, Grammat.
 Joannes Weinbuch, Grammat.

Præsidarii
 Milites Levitarum,
 &
 Athaliae Cohors
 prætoria.

Modulos Musicos composuit.

Ornat. ac Perittiff. Dominus Joannes Baptista Holl, Organæd. &
 Instructor Music. in Seminario.

Personæ Musicæ in Prologo.

Ornatiff. ac Doctiff. D. Casparus Schwab &c. ut supra. *Plato.*
 Fridericus Schaur, Musicus, *Tyrannis.*

Joan:

Joannes Baptista Widmann, Poëta, }
Josephus Sutor, Principista, } *Furia.*
Josephus Nefel, Principista, }
Josephus Grundtner, Princip. *Themis.*
Josephus Widmann, Rudiment. *Comes I.*

Cum reliquis in Choro ut infra in Epilogo.

In Musica Intercalari & Epilogo.

Nobil. Franciscus Seraphicus Feuchtmayr, Grammat. *Judaea.*
Blasius Nuzinger, Synt. Min. *Genius Prov.*
Fridericus Schaur, Music. *Ira.*
Josephus Sutor, Princip. *Odium.*
Antonius Hueber, Princip. *Livor.*
Joannes Michael Drexl, Princip. *Ambitio.*

Populus Judaicus in Choro.

Joannes Georgius Endhart. Albertus Drexl. Antonius Graff.
Bernardus Zäch. Michael Gleich. Antonius Horner. Joachimus
Schnizler cum reliquis.

O. A. M. D. G.

Univ. Bibl.
München

